

nus libro, qui inscribitur Mithridaticus, vbi narrat Pompeiū cognomento Magnum cum Areta Nabathæorum rege bello contendisse. meminit eiusdem etiam paulò post, cū describit triumphū Pompeij Magni, in quo erāt & reges bello superati. Tygranes Armenius, Atrocēs Hiberus, Orizes Albanus, Darius Medus, Areta Nabathæus, & Antiochus Comagenus, & hæc de Areta rege. currus tractus à quatuor equis, ab imaginèq; rectus. Triumphus esse potest ex capto Priuerno, vel ex captiuitate regis Aretæ designatus. quòd autem ante pedes eorum se forficis instar præbet videndum, id existimo factum ad retinendum cursum equorum, tanquàm sit meta cursus. literæ, HYP SAEVS AED. CVR. an illum Hypsæum denotent, cuius meminit Cicero lib. epistol. famil. j. prima epistola Publio Lentulo scripta, vbi dicit, Libonis & Hypsæi non obscura concursatio & contentio, mihi non satis liquet: crediderim tamen eundem esse ex coniectura. Nam Asconius Pædianus in oratione pro Milone eiusdem sic meminit. non tamen quòd appellet eum Aedilem curulem, prout est in numo. inquit igitur Pædianus, Inter candidatorum Hypsæi & Milonis manus in via sacra pugnatum est. Meminit & de Hypsæo consule Plutarchus in vita Pompei Magni his verbis. Post paucos dies Hypsæus vir consularis Iudicium vitans cognito Pompeium ad cænam lætum proficisci, eius genibus accubuit, eūmq; obsecrare cæpit. Sed Pompeius eum cum factu præterijt, illum, inquiens sibi cænam disperdere, aliudq; conclusit nihil &c. hinc illud considerandū, imaginem genuflexam ad Hypsæum hunc etiam referri posse, qui vt in imo numi margine scriptum adparet consul fuerit. Sic enim literæ leguntur. HYP SAE. COS. quòd autem inscriptio sit in numo. CAPTO PRIVER. id totum ex Liuiana historia petendum est lib. viij. decadis primæ, vbi narratur bellum à Romanis contra Priuernates initum. consule L. Plautio Venace, qui ad id bellum missus à Senatu Romano fuerit. qui demum donati ciuitate Romana fuerint. eorum dux Vitruuius Vaccus in eo bello fuit, cuius postea ædes dirutæ, publicatòq; solo, Vacciprata appellata sunt. bona eiusdem Semoni Sango cōsecrata. illud hic magni animi principis Priuernatum exemplum non præteribo, cū liberè id dictum ac responsum, in causa fuerit. vt Romani à pena Priuernates liberarent, eòsq; ciues Romanos facerent. Interrogatus igitur vnus ex legatis Priuernatibus à quodam, quàmnam pœnam meritos censeret Priuernates, eam, inquit, quam merentur, qui se libertate dignos censent. Sed & cōsul Lucius Plautius Venox, cum hoc feroci responso inferiores factos videret eos, qui ante Priuernatium causam impugnabant, vt ipse benigna interrogatione mitius responsum eliceret. quid si pœnam, inquit, remittimus vobis, qualem nos pacem vobiscum habituros speremus? Si bonam dederitis, respondit, & fidam & perpetuam, Si malam, haud diuturnam. Cuius historiar & liberè dicti meminit, & Valerius Maximus lib. vj. cap. ij. vbi quæ liberè dicta aut facta sunt, recenset. & hæc ad